

gre mittebantur; *Πισκόπος* appellare solebant. Neque etiam Romanis hoc nomen inconsuetum fuisse adparet ex Cicerone, (a). *Ego, inquit, negotio praesum non turbulento, vult enim me Pompeius esse, quem tota haec campana & maritima ora habeat Πισκόπον, ad quem delectus & summa negotii deferatur.* Episcopi quoque dicti sunt, qui aliarum rerum curam gesserunt. In Iure Civili dicitur: *Episcopi, qui praesunt panis & ceteris rebus venalibus, quae civitatum populis ad quotidianum victum usui sunt &c.* Plura vid. ap. *Jo. Cass. Suicerum* (b).

§. 5. Apud Pontificios autem quid vox Episcopus in hunc usque diem denotet, in vulgus notissimum est. Sunt enim eorum Episcopi non tantum Presbyteris omnibusque membris sacri (scilicet) ordinis superiores; (Cardinalatus enim an verus ordo sit, inter Pontificios disputatur, teste Augustino Barbosa (c)) sed etiam iurisdictione saeculari gaudentes, baculum Aaronis & gladium Nimrodi una manu regunt. Imo tanti suos faciunt Pontificii episcopos, ut Bellarminus (d) de iisdem haec verba, ex Nazianzeno, Chrysostomo & Ambrosio, si credimus Loiolatae, de prompta adferre non erubuerit: *Episcopus tanto est maior rege, quanto spiritus carni, coelum terrae, aurum plumbo praestat. Et propterea etiam Pontificatus & Sacerdotium per se ad Ecclesiam pertinent, principatus autem temporales per accidens.*

§. 6. Videndum igitur etiam est, quid S. Auctores per vocem Episcopi intellexerint. Pontificii, cum iisque Episcopales in Anglia statuunt, intelligi Episcopos Presbyteris i. e. quibusvis Ecclesiae Ministris iure Divino superiores: omnes quidem, ut Episcoporum suorum auctoritatem, illi autem imprimis, ut oecumenici illius Episcopi (in aliqua tantum terrae parte & iam non adeo absolute regnantis) independentem atque universalem potentiam, quantum in se est, confirmant atque conseruent. Atque huic suae sententiae tam firmiter inhaerent Pontificii, ut non tantum in Concilio Tridentino (c) constituerint: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, anathema sit;* sed etiam variis scriptis eam defenderint.

A 2

Nomi-

(a) *Lib. 7. ad Attic. Epist.* (b) *in Thesaur. Eccles. T. 1. p. 1178.* (c) *de officio & Potest. Episcoporum p. 2. Alleg. 1. p. 191.* (d) *Tom. 1. controuv. l. p. 129.* (e) *Sess. 23. Can. 7.*

Apud Pontificios

Apud Apostolos